

men ut Patres anteriores reliqui de baptismo et eucharistia loquuntur, alte vero silet de confirmatione: vel 5. de confirmatione, tanquam de parte integrali baptismatis seu caeremoniali, sermonem habent. Ita quidem Tertullianus, a quo lib. de Bapt. c. VII. vocatur unctio illa profluens de pristina disciplina, Veteris nempe Testamenti, quia sacerdotes de oleo cornu ungi solebant, eamque propterea baptismis adjungit, ut patet ex ipsa libri inscriptione, quae est de baptismo; quem idcirco c. X. his verbis absoluit: *Diximus quantum mediocritati nostrae licuit de universis, quae baptismi religionem struunt. Hinc unctioni adjecit de gustationem lactis et mellis, quae in confirmatione locum non habent; scribit enim lib. 4. cont. Marcionem c. XIV. de Christo novae legis auctore: Usque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, quae suos abluat, nec oleum, quo suos ungit; nec mellis et lactis societatem, quae suos infantat.* 4. Tertulliano consonat s. Cornelius papa, qui affirmat confirmationem ab episcopo recipi debere juxta ecclesiasticam regulam. 5. Quare passim veteres vocant confirmationem, seu manus impositionem, *baptismi perfectionem*, ut concilium Eliberitanum (Can. XXXVIII), vel supplementum, ut s. Cyprianus (Ep. LXXIII), 6. qui proinde Ep. LXXII. subdit: *Tunc demum (homines) plene sanctificari et esse filii Dei possunt, si sacramento utroque nascantur;* censuit igitur unum reipsa sacramentum esse, alioquin falsus subesset ejus assertioni sensus. 7. Imo nec Patres desunt, qui hujus confirmationis originem ab haereticis valentinianis repetant, ut Irenaeus, qui lib. I. cont. Haeres. ipsis exprobrat, quod opobalsamo uterentur ad suos neophytos inungendos. Ut igitur aliquid pergratum illis fieret, qui sectam valentinianorum ejurantes in Ecclesiam se recipiebant, ut conjicit Basnagius, in Ecclesiam deductum est chrisimatis institutum (Loc. cit. n. 39). Ergo.

Resp. Neg. Ant. Ad 1. prob. Dist. Nonnulli Patres siluerunt, aliis loquentibus, C. secus, N. Pauca admodum documenta Patres illi, quos recenset Basnagius nobis reliquerunt; eorum autem scopus non ferebat, ut de confirmatione loquerentur. Ceteri ac fere suppare copiose de eodem sacramento disserunt, tanquam de re receptissima et passim usurpata; nihil igitur causae catholicae obstet paucorum illorum silentium. Tertullianus vero, qui luculenter adeo de confirmatione disseruit, vix quinquaginta annis ab obitu apostoli Joannis floruit. Interdum nonnulli Patres silet de baptismo et eucharistia, quin exinde concludi aliquid possit (1).

Ad 2. Dist. Profitetur s. Martyr se omnia manifestare Caesaribus, quae ad depellendas calumnias necessaria erant C. Omnia prorsus religionis christiana mysteria, N. Haec porro calumniae, ut alias adnotavimus, impetebant potissimum ritus baptismi et eucharistiae, hos propterea exponit Justinus ut christianos penes Caesares justificaret, non autem singulariter per modum catecheseos minime prosequitur, quod

(1) Cf. Card. Orsi Dissert. De chrisimate confirmatorio Mediol. 1755. cap. 1. § 3.

nec ferebat recepta per id temporis disciplina. Multum profecto Caesarum non referebat scire, an christiani homines post lavacrum etiam oleo perungerentur, aut eis manus imponeretur, ut verendum propterea fuerit, prout frigide autumat Basnagius, ne id silentio Justinus involvens, tantum facinus sanguine elueret, neve eam ob causam adversus christianos gladiis et ignibus Caesares desavirent (1).

Ad 3. Neg. Nec sane id evincit Tertullianus, qui in primo textu nobis objecto unctionem chrisimatis docet ex pristina disciplina provenire, quatenus praefigurata erat in V. T. non autem quatenus identica esset, seu quoad rem et efficaciam (2).

Ex altero autem textu desumpto sive ex libri inscriptione, sive ex ejusdem conclusione, nihil pariter inferri potuit adversus veritatem sacramenti, quam propugnamus, cum notum sit veteres spectasse confirmationem velut appendicem et perfectionem baptismi, quin tamen unum idemque censebant esse sacramentum, quod coalesceret tanquam partibus ex baptismo et confirmatione. Exinde factum est, ut utrumque quidem sacramentum conjungerent, quia simul illa sacramenta conferebantur una cum eucharistia, non tamen permiscebantur. Diversam enim materiam, ministrum et effectum unicuique sacramento assignant. Sane idem Tertullianus, praeterquam quod in ipso cit. loco apertissime unum ab altero secernit, ut patet ex ejus verbis adductis in probatione thesis, in lib. de Resurr. carnis, baptismi, confirmationis et eucharistiae materiam et effectus his verbis declarat: *caro abluatur, ut anima emaculetur* (en effectus baptismi): *caro ungitur, ut anima consecratur; caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur* (en effectus confirmationis): *caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima Deo saginetur* (en effectus eucharistiae) (3).

(1) Praestat apponere verba ipsa, quibus Basnagius exaggerat periculum, quod Justino ac ceteris christians instabat, si silentio ritum confirmationis praeterisset: « Ejus utique caeremoniae, inquit, meminisse debuisset, ut munus promissi conficeret, neve a desertore aliquo Ecclesiae criminis postularetur, quod sciens et prudens, nobilissimam christianae disciplinae caeremoniam occulisset. Quo facto et sibi, et christianis, quorum patronam agebat, creasset periculum. » Ita strenue nugatur!

(2) Cum haec unctio juxta veteres patres significet regiam ac sacerdotalem dignitatem, quam per confirmationem qui tingebantur acquirerebant, juxta illud Petri effatum: « Vos genus electum et regale sacerdotium; » cum praeterea in V. T. ea adhiberetur ad reges ac sacerdotes inaugurandos, recte Tertullianus asseruit, de veteri disciplina provenisse hunc ritum inungendi christianos in reges et sacerdotes spirituales. Quo sensu auctor Quæstion. ad orthodoxos quæst. 157. pariter scripsit: *γρηθηθη τοις βασιλει και ιεροδουλοις Χριστου*, « Veteri oleo ungitur, ut flammis Christi. » S. Greg. Naz. eodem respicit, cum dicit baptismum vocari *γρηθηθη δε ιερην και βασιλειαν*. « Unctionem ut sacramentum et regiam. » Sic Cyrillus Hieros. Catech. Myst. III. alique passim Cf. Const. apost. I. III. cap. 45. ed. Cotel.

(3) Cap. 8. Quibus addenda sunt, quae lib. de Bapt. cap. 7. scribit: « Sic et in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit: quomodo et ipsius baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur: spiritalis effectus, quod delictis liberamur. » Sic etiam lib. de Praescript. cap. 56. « Aqua, inquit, signat, sancto Spiritu vestit, eucharistia pascit; » et cap. 40. « Ipsas quoque res sacramentorum divinarum idolorum mysteriis æmulatur (diabolus). Tingt et ipse quosdam, utique credentes et fideles suos. » Mithra

Interio demum textu ostendit Tertullianus aquam, oleum, mel et lac creaturas a Deo bono conditas in V. T. perhiberi, cum usurpatae sint in administratione sacramentorum N. L. cujus auctorem Deum bonum esse fatebantur marcionitae: minime vero eas ut partes essentielles sacramenti recenset, nec enim has accurate distinguere scopus Tertulliani fuit. Ceterum post allata verba immediate prosequitur: *Nec panem, quo ipse corpus suum representat.* Quin tamen praejudicium afferat veritati sacramenti eucharistiae.

Ad 4. Neg. pariter in sensu adversarii; ad prob. D. Juxta ecclesiasticam regulam in ordine ad caeremonias omissas in baptismo clericorum, C. in ordine ad confirmationem subd. Quoad susceptionem, C. quoad institutionem et originem, N. Neque enim haec permisceri debent, cum ea apprime Cornelius distinguat (1).

Ad 5. Dist. Vocant veteres confirmationem baptismi perfectionem, etc., ratione effectus, C. ratione sacramenti, N.

Ad 6. Dist. Ut quis sit plene sanctificatus, seu christianus perfectus, nempe fortis et adultus, C. christianus simpliciter, N. Sane qui dicit *Utroque sacramento*, duo sacramenta distinguit; porro juxta datam expositionem liquet, nullum falsum sensum subesse posse in s. Cypriani assertionem (2).

Ad 7. Neg. Ad probationem vero quae ex s. Irenæo petitur, D. Exprobrat Irenæus valentinianis abusum ob profanas vocum novitates et incantationes ab ipsis introductas, C. usum ipsum opobalsami vel N. vel subd., opobalsami nondum ab Ecclesia usurpata, Tr. secus, N. duo haec propterea inter se permisceri non debent, confirmationis nempe collatio per manuum impositionem et olei unctionem, et permixtio opobalsami alteriusve liquoris postea adjecta. Nos de priori hic solliciti sumus, de altera vero quid sentiendum verisimilius sit, inferius aperiemus. Basnagius utrumque confundit, ut Irenæi testimonio fretus, ex valen-

signat illic in frontibus milites suos: celebrat et panis oblationem.

(1) En integrum textum: « Sed neque postquam liberatus est (Novatiani) morbo, reliqua percepit, quae juxta ecclesiasticam regulam percipi debent; » deinde immediate prosequitur: « Neque ab episcopo consignatus est, etc. » Ergo distinguit s. Pontifex baptismi solemniam, quae Novatianus, recuperata valetudine, neglexit contra ecclesiasticam regulam illa supplere praecipientem, a consignatione chrisimatis sacramentali. Cf. Vales. in h. l.

(2) De hoc argumento ex professo disputat vetus auctor operis de Rebaptismate. Cum enim prius dixisset: « Per manus impositionem episcopi datur unicuique Spiritus sanctus, sicut apostoli circa Samaritanos post Philippi baptismum manus eis imponendo fecerunt, et hac ratione Spiritum sanctum in eos contulerunt; » subdit: « Quod hodierna quoque die non potest dubitari esse usitatum, et evenire solitum, ut plerique post baptismum sine impositione manus episcopi de saeculo exeant, et tamen pro perfectis fidelibus habentur. » Quod confirmat exemplo eucharistiae a Philippo baptizati, qui sine manuum impositione episcopi perfecti extitit christianus. Sed cum et. Interim ex his patet non eo sensu vocatam a veteribus esse confirmationem, perfectionem baptismi, quasi sine ipsa baptismum imperfectum esset censendum, sed quatenus gratia in baptismate collata alia fortitudinis et roboris adiciebatur, ut exponit s. Cyrillus Catech. cit.

PERRONE. II.

tinianorum fontibus chrisimatis usum in ecclesiam deducat (1).

Illud porro, quod idem Basnagius subdit, ecclesiam nempe ut rem gratam faceret valentinianis, ritum hunc adoptasse, falsum est. Ecclesia enim, ut magis fideles ab haereticis averteret, perpetuo consuevit abhorre ab istorum usibus et institutis, et contrariam plane inire viam. Accedit, in Ecclesia nonnisi seculo circiter VI. ut suo loco ostendemus, opobalsami usum adoptatum fuisse; quo magis vis ac efficacia hujus sacramenti significaretur. Jam vero ea ætate constat nullos superfuisse gnosticos et valentinianos, qui praeterea tales nunquam auctoritate et numero fuerunt, ut catholica Ecclesia illis velificari vellet.

Inst. S. Hieronymus in Dialogo cont. Lucifer. mota quaestione, cur in ecclesia per manus episcoporum conferatur Spiritus s., concedit id quidem ex ea descendere auctoritate, qua post Christi ascensionem apostoli usi sunt; addit tamen nulla necessitate factum esse, ut manus baptizatis imponerentur in Spiritum s. multisque in locis id factum fuisse ad honorem potius sacerdotii, quam ad legis alicujus necessitatem. Nulla igitur lege munitur confirmationis caeremonia, sed meræ disciplinae res est.

Resp. Dist. Ant. Addit s. Hieronymus, nulla necessitate factum esse, ut manus baptizatis imponerentur, etc., in sensu luciferianorum, quos perstringit s. Doctor, C. perse, N. Inficiatur scilicet s. Hieronymus potuisse dari remissionem peccatorum absque collatione Spiritus sancti, prout luciferiani juxta nonnullorum placitum contendebant; negat proinde absolute necessariam esse manuum impositionem ad Spiritum s. conferendum quo remitterentur peccata iis, qui rite fuissent ab haereticis baptizati; non autem prout avertit gratiam roboris et fortitudinis (2). Quia vero noverat apud orientales a

(1) Notandum porro hic est, s. Irenæum lib. I. cap. 21. n. 3. juxta edit. Mass. haud improbare hunc ritum in gnosticis, sed solum referre: eum ejus verba: « Ταυτα μυστηρια του ταλεισμου εν ετοιμη, εν αρα βαπτισμου εν της παρος τοιου τουου της βαπτις εν ολα ευχεται ετοιμους. Tum autem eum qui initiatus est, opobalsamo inungunt. Hoc enim unguentum fragrantia illius, quae omnia exsuperat, typum esse aiunt. » Cf. in hunc locum adnot. Fevardentii (in cap. 18. juxta vet. edit.), ubi vindicat catholicum ritum adversus haereticos Calvinistas, qui hoc loco abusi sunt, ac recte huic applicat, quod in simili argumento scripsit s. Augustinus lib. xx. cont. Faust. cap. 21. « Non enim est detestanda sanctimonialium virginitas, quia et vestales virgines fuerunt; nec reprehendenda sacrificia patrum, quia et sacrificia gentium fuerunt: quia etsi usus quarundam rerum similis esse videtur nobis cum gentibus (adde et haereticis), ut cibi, potus, tectorum, vestimentorum, lavacrorum; longe tamen aliter his utitur, qui ad alium finem earum usum referunt, et aliter qui ex his Deo gratias agunt, de quo falsa non creditur. » Putat quidem Fevardentius gnosticis hanc caeremoniam a catholicis mutatos esse, ast auctoritates, quibus ad hoc conficiendum utitur, vel sunt apocryphae, vel agunt de sola unctione in genere, quin sermo sit in his de balsamo, vel de unctione olei. Sed cf. Card. Orsi in cit. Dissert. De chrisimate confirmatorio, qui cap. 1. § 8. egregie Basnagium confutat.

(2) Et hic animadvertendum est, receptam passim apud veteres phrasim fuisse, ut per baptismum dicerent eos consecqui remissionem peccatorum, per confirmationem autem Spiritum sanctum, seu spiritum sanctificationis, gratiam adoptionis, etc. Cf. Toutteum Diss. III. cap. 8.

(Cinq.)

presbyteris conferri solitam confirmationem, ab episcopis vero apud occidentales; inde ait, plurimis in locis ad honorem potius sacerdotii, quam ad legis divinæ necessitatem factum esse, ut episcopi manus imponerent in Spiritum s. quatenus dat robor et fortitudinem. Non igitur de confirmationis natura et dignitate disserit Hieronymus, sed de ipsius usu, effectu et ministro, ut virtutem baptismi vindicet juxta Ecclesiæ ritum etiam in hæresi suscepti (1).

III. *Obj.* Materia, forma, minister et finis hujusmodi latinorum confirmationis, ecclesiasticam ejus institutionem producit. 1. Materia enim sacramentorum, quæ certo a Christo instituta sunt, est simplicissima, aqua scilicet pro baptismo, panis et vinum pro eucharistia, in confirmatione vero manuum impositio, oleum, balsamum, etc. Forma vero illis verbis concepta est; quæ valde abhorrent a majestate evangelica, nempe *Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis*, quæ puerilitatem redolent. Ministri ceterorum sacramentorum juxta catholicos, si ordinationem excipias, sunt sacerdotes, hujus autem soli episcopi, qui admodum rari sunt, ac in pluribus regionibus nulli inveniuntur. Hinc ingens multitudo tam salutari sacramento perpetuo carere deberet, quod a Christi bonitate alienum est. Finis denique ob quem instituta dicitur confirmatio, esset communicandi spiritum roboris ac fortitudinis, jam vero Paulus hunc effectum tribuit ipsi baptismo, seu evangelicæ disciplinæ, scribens I. Timoth. 7. *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri.* 2. Concludendum igitur est, confirmationem non esse, nisi ecclesiasticam caeremoniam, manuum impositioni curatoricæ, quæ cum apostolis cessavit, seculo circiter Ecclesiæ III. substitutam per chrismatis consignationem, cujus nullum vestigium occurrit in Actis apostolicis. 3. Quo factum est, ut mire inter se dissentiant catholici circa institutionem, materiam, formam, ministrum, subjectum, ritum, necessitatem, genera probationum, effectum, caeremonias ejusmodi novitii sacramenti. Ergo.

Rep. Neg. Ant. quod totidem falsis suppositionibus, ut aiunt, laborat. Norunt siquidem eruditi 1. incertum esse num balsamum ad essentiam hujus sacramenti pertineat, quod ut innuimus, longe probabilius plerique inficiantur. 2. Incertum est num omnia verba illa: *Signo te, etc.*, constituent formam essentiali ejusdem sacramenti, ut inferius videbimus. Adde ejusmodi formam desumptam esse ex Apostolo scribente II. Cor. I. 21: *Qui confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos, Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*, nullam propterea puerilitatem redolere potest. 3. Incertum esse, num facultas, quæ jure ordinario competit episcopis a di-

Hæc loquendi formula abusi nonnulli sunt, præcipue vero luciferiani, quos refellit s. Hieronymus, ut efficerent ab hæreticis baptizatos Spiritum sanctum minime assecutos esse, eo magis, quod ariani sacramentum confirmationis minime administrarent.

(1) Cf. Vallars. in adnot. in hunc loc. nempe n. 9.

vino an ecclesiastico jure, ut pariter videbimus, repetenda sit; illud porro certum est, posse hanc facultatem a romano pontifice communicari presbyteris. Deus præterea, cum opus fuerit, supplere potest extraordinaria ratione defectui mediocri exteriorum, præsertim cum agatur de sacramento ad salutem non absolute necessario (Cf. s. Th. 3. p. q. 72. a. 1). 4. Falsum esse Apostolum in cit. loc. agere de baptismo aut evangelicæ disciplina, cum loquatur de gratia, quam per sacram ordinationem acceperat Timotheus, ut series orationis ostendit. Cum itaque partim incerta, partim falsa sint, quæ adversarii assumunt ad impugnantiam hujus sacramenti veritatem, sponte sua corrumpunt conclusiones inde deductæ.

Ad 2. *Neg.* Hæc namque sunt mere conjecturæ argumentis negativis innixæ, quibus obstant omnia quæ adduximus argumenta positiva, et quod capit est, sensus traditionalis perpetuus universæ Ecclesiæ, quo solo omnis protestantium machina dissolvitur. Quod vero attinet ad chrismata, nonnulli censent sub generali manus impositionis formula significari in Actis apostolicis. Verum de hoc infra.

Ad 3. *Dist.* Salva tamen veritate sacramenti, C. secus, N. Eam fateantur protestantes, de reliquis autem nondum ab Ecclesia definitis liberum pariter ipsis erit, si lubet, disputare, prout non parum disputant circa baptismum et eucharistiam, quin ea in dubium revocent.

IV. *Obj.* Falsum, aut saltem incertum est, orientales agnoscere confirmationis sacramentum; id enim non pauci inficiantur illarum regionum missionarii. Ergo.

Resp. Neg. Ant. Ad. prob. Dist. Ignorantia aut errore decepti, C. jure ac merito, N. De fide orientalium ecclesiarum circa hoc sacramentum Renaudotius agens, tomo II. *Liturgiarum orientalium* evidenter ostendit, productis certissimis documentis, apud omnes omnino illas ecclesias semper ipsum fuisse receptum, et adhuc administrari. Ostendit præterea, missionarios illos duplici de causa fuisse deceptos, 1. quod cernerent præter consuetudinem Ecclesiæ latinæ confirmationem conferri statim post baptismum; 2. quod viderent illam administrari passim a presbyteris. Hinc factum est, ut in suspensionem venerint, non agnoscere hoc sacramentum ab orientalibus (1). Hæc autem confirmat Assemanus in codice liturgico universæ Ecclesiæ (2), ita ut nullum jam supersit dubium penes eruditos de orientalium fide circa hunc articulum.

CAPUT II. DE CONFIRMATIONIS MINISTRO.

Quæstioni de veritate sacramenti confirmationis ideo statim subjicimus quætionem de ipsius ministro,

(1) Cf. in notis ad *Liturgiam philoxeni*. n. 5. nec non in op. sæpius laudato *De la perpét.* liv. I. ch. 8. suiv.
(2) Cf. Jos. Aloysii Assemani *Codex liturgicus Ecclesiæ universæ*. Romæ 1730. lib. II. *De confirmatione*, vide etiam ejusdem præfationem § 2. Hic vulgo appellatur Assemanus junior.

ut viam nobis aperiamus ad alterum dogma adstruendum a Tridentina synodo definitum.

Exploratum enim est apud omnes catholicos juxta tridentinam sanctionem, solum episcopum esse ordinarium confirmationis ministrum; quod et nos vindicabimus adversus Photium, valdenses, wicleffitas, hussitas, ceterosque, qui eos secuti sunt.

Verum circa ministrum extraordinarium non ita sunt inter se consentientes theologici ac eruditi homines, ut nulla apud eos sit controversia.

Morinus in exercitatione de sacramento confirmationis contendit, ejus administrationem presbyteris olim demandatam fuisse non solum in oriente, sed etiam in occidente; et primo quidem in gallicanis ecclesiis, deinde in hispanicis, quemadmodum colligitur ex conc. Toletano I (In fine can. XX). Eandem consuetudinem in Sardinia insula viguisse ex celebri s. Gregorii M. testimonio confirmat (1). De Græcorum deinceps atque orientalium consuetudine disserens, ostendit episcopos, archiepiscopos, atque etiam presbyteros, munus hujusmodi fere promiscue exequi solitos fuisse; illos quidem ordinarie ac proprio jure, istos extraordinarie atque episcoporum concessione. Ægypti denique, potissimum vero Alexandrinæ ecclesiæ, eandem fuisse consuetudinem sanctorum patrum testimoniis et inferiorum temporum scriptoribus et monumentis clare adeo evincit, ut ea de re vix dubitari posse videatur (2). Morino adstipulantur Christianus Lupus (3), Lucas Holstenius (4), Goarius (5), Renaudotius (6), præstantioresque nostri temporis theologici, qui illorum laboribus et monumentis uti feliciter potuerunt.

Quatuor vero sunt, quæ post veteres nonnullos ab Estio, Petro Aurelio (abbate sancti Cyrani), Sambovio, atque Herminerio adversus præfatam doctrinam opponuntur. Factum videlicet Nicolai I jubentis iterum confirmare, quos sub Photio presbyteri græci in Bulgaria consignaverant; ac tria romano-

(1) Verba s. Gregorii M. in ep. IX. lib. III. ad Januar. episc. Calaritan. hæc sunt: «Pervenit quoque ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere in fronte eos, qui baptizati sunt, prohibuimus, et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus. Sed si omnino hæc de re aliqui contristantur, ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.» Alii legunt *baptizandos*, et exponunt s. Gregorium de unctione, quæ adhibetur in ritu ipso baptismi. Hos carpit Morinus et contendit legendum omnino esse *baptizatos*. Ast Maurini editi. opp. s. Gregorii M. codicum auctoritate veram vindicant lectionem quæ est *baptizandos*, ac simul ostendunt, s. pontificem agere de chrismate confirmatorio seu sacramento confirmationis. Cf. adnotat. in ep. XXVII. libri IV. Indict. XII.

(2) Cf. Jo. Morini *Opera posthuma*. Vol. 1. in 4. Paris. 1705. Exercitatio *De sacram. conf.* a cap. 12. ad 18.

(3) In dissert. *De octava synodo generali*. Calumniam IV. opp. edit. Venet. 1721. tom. III.

(4) *Dissertatio duplex de sacramento confirmat.* Romæ. 1686. iterum reuise ad calcem opp. posthumi. Morini. Cf. Diss. I. *De ministro confirmationis*. Cap. 4.

(5) In *Euchologio*. cit. Cf. not. in baptismatis officium pag. 567.

(6) *Perpétuité, etc.* liv. II. chap. 15. Quibus addi potest Arcudius *De concordia ecclesiæ occidentalis et orientalis in septem sacram. administrationibus*. Paris. 1626. lib. II. cap. 10. et seqq.

rum pontificum decreta, constitutio nempe Innocentii III. qui confirmationem a presbyteris Constantiopolitani administratam videtur irritam pronuntiasse; constitutio data ab Innocentio IV. ad episcopum tusulanum, in regno Cypri legatum apostolicum, in qua, ne confirmatio in posterum a presbyteris conferretur, prohibuit, nihil tamen pronuntians de illius valore; instructio demum Clementis VIII. de ritibus Græcorum, qua non modò id ipsum prohibet, verum etiam ex eorum euchologio in ordine baptismi jussit ea verba expungi, quibus statim post baptismum subjicitur ratio administrandi confirmationem; jussit præterea episcopos latinos, sub conditione eos iterum confirmare, qui a presbyteris græcis tincti et confirmati fuerant, præsertim si eos ordinibus insignire debeant.

Ast facilis patet ad hæc omnia responsio. Ideo enim Nicolaus I statuit denuo confirmare Bulgaros, quia, ut alias diximus, Bulgaria provincia spectabat ad patriarchatum occidentalem, quapropter non a Photio, sed a romano pontifice presbyteri delegari debuissent ad dandam confirmationem; eo magis quod erroribus Photii imbuti sacerdotes illi, se ordinaria potestate præditos ad hoc sacramentum conferendum arbitrarentur (1). Innocentii III. decretum ferit presbyteros latinos Constantinopoli degentes, qui ad imitationem græcorum sibi jus arrogaverant confirmandi absque pontificis delegatione, quod occidentalibus nefas erat. Constantinopolis porro tunc temporis erat sub ditione Francorum, patriarcha vero Venetus erat. Sic etiam Innocentii IV. decretum non afficiebat, nisi solos Cyprios, in quos pariter Latini dominabantur, ob peculiaria illius insulæ adjuncta. Cum enim populus plura conspiceret præstari a græcis presbyteris, quam a latinis, istos parvi faciebat; hinc jurgia oriebantur ac simultates, ad quas compescendas venit pontifex, quominus in posterum græci presbyteri in insula consignarent. Instructio denique Clementis VIII. respicit solum Italo-græcos latinis episcopis subjectos, prout postea a Benedicto XIV. pariter sancitum est, ne in diocesi latina græci presbyteri confirmationem administrarent (2).

Ex his colligitur I. Errasse scholasticos illos, qui ex eo quod presbyteri apud græcos et orientales hodie chrismate consignent, intulerunt perinde ac missionarii illi, de quibus antea diximus, sacramen-

(1) Lucas Holstenius Diss. cit. cap. 2. aliud de hoc facto judicium tulit, sic enim scribit: «Nequaquam prævaricari dixerim eum, qui schismatis occasionem causasque nunc diligentius expendat. Inter eas una est, chrismationis sacerdotalis improbatio, ejusdemque iteratio apud Bulgaros.» Ast disputationis astu abreptum eo dilapsum doctum virum reor.

Cf. etiam Morinum Diss. cit. cap. 20. et Christ. Lupum Diss. et loc. cit. Nos adhasinus responsioni Benedicti XIV. lib. VII. de *synodo* cap. 9. § 3. Nicolaum pariter adversus Photium strenue defendit Arcudius op. cit. lib. II. cap. 11. et 12.

(2) Cf. de hoc argumento præter Morinum loc. cit. cap. 22. Lupum loc. cit. more suo pluribus agit Trombellius *De confirmatione* t. II. Diss. X.

Cf. Bened. XIV. Constitut. LVII. § 5. in ejus Bullario tom. I. p. 167. et Constit. CXXIX. § 4. et 5. in cod. Bullar. tom. I. pag. 313.